

Salsum

agente factas educitur, ut ita extra materiam nec fieri, nec esse, nec operari possit, sed habeat esse materiae simpliciter alligatum. Econtrario anima immaterialis finitur illa, quae à materia libera est, & ab eâ in esse, fieri & operari *intrinsecè* non dependet, vel quod idem est, quae nec materiae *immersa*, nec è materiae potentiâ educitur. Jam si anima rationalis esset partim materialis, partim immaterialis, tunc educeretur è potentia materiae, & non educeretur è potentia materiae, quod implicare manifestum est. Deinde aliud notabile discrimen inter hæc duo animarum genera intercedit: Animæ materiales ortum & ortûs modum adscribunt generationi, anima verò immaterialis creationi; fieri enim dependentèr à materia generationis est, fieri verò independentèr à materia creationis est. Jam si anima rationalis esset partim materialis, partim immaterialis, tunc ortum suum adscriberet partim generationi, partim creationi, quae à τὸ πρῶτον ἀπὸ τοῦ πρῶτον ἀπὸ τῶν ἄλλων esse, quilibet percipit. *Minor æque vera est;* Nam anima vegetativa & sensitiva materiae sunt immersæ, è cujus potestate fiunt: quia in ipsa materia generationi subjecta actu inesse non possunt, sed tantum potentiâ, si enim actu inessent, tunc res esset ante generationem suam, fiunt autem actu in materia per intrinsecam dependentiam inesse & fieri à materia, quando nempe à generante ex materia satis dispositâ educuntur, & idcirco etiam dicuntur materiales. *Rei lumen ab exemplo est accersendum.* Quando debet generari aliquod animal, tunc in semine animalis anima sensitiva actu non est, quia semen non est corpus organicum, quale requirit anima, quippe quæ supra definita fuit, quod sit actus primus substantialis corporis organici, ubi ergò tale corpus organicum non datur, ibi nec anima est: Et sanè si anima actu esset in ipso semine, quid opus esset generatione, per quam debet ipsa in materiam introduci? Educitur igitur è sinu materiei per sufficientes dispositiones ab agente factas, & consequenter à materia essentialiter dependet & ideò appellatur materialis. Res eodem modo

Hypothesi
Salsi
Salsa

Salsa
quali
Salsi
quasi
videt

Salsa
hypo
nisi

6. 1111

modo